RHEMIGII MELIORATI

DE PVTREDINE

AD IOANNEM ARGENTERIVM DISPVTATIO.

FLORENTIAE

Rhemigius Melioratus Ioanni Vergetio Cretensi. S. P. D.

Cum superioribus diebus apud librarios uersaremur, rogasti ut exilia quædã dissoluerẽ, quæ Ioãnes Argẽterius Medicus de usu testiũ contra Arist. sententiã afferebat, quibus cũ obstitissem, cœpit ille quædã Aristoteli uitio dare ad putredinẽ pertinẽtia, sed tenebris et nocte aduentãte exclusi sumus, ea tamen cõditione discessimus ut disputatio in posterũ diẽ differretur, sed impediuit Argẽteriũ corporis ualetudo, quãobrẽ quod coràm afferre uolebat, literis mãdauit, quibus (te authore) respõdi. Cognoui.n. quàm auide cuperes Aristotelis aduersus Argẽterij maledicta haberi defensionem, neq; miror si ægre feras, ubi audias Græcos authores multorũ sæculorũ authoritate cõmẽdatos intẽpestiue reprehẽdi ac temere dãnari, cũ natione Græcus sis, præclare ut si quisquã alius bonis artibus ac liberalibus disciplinis instructus, cũq;, ueluti Ilaro Socratẽ, utrũq. Aristoteles, Bonamicũ illũ Lazarũ expresseris, qui memoria nostra fuit uere Musarũ alumnus, eloquentiæ ac doctrinæ pater, Græcorũ philosophorũ uindex acerrimus. Quibus ego tãmotus uolui et Aristotelem defendere, et opusculũ hoc tibi dicare. Vale. Pisis Idibus Iunij. M D L I I I.

RHEMIGII MELIORATI DE PVTREDINE, AD IOANNEM Argenterium.

Occasio scribendi & quales esse debeant Sapientum censores. Cap: I.

CAVSAM, quamobrem ad disputandum de Putredine (sicut inter nos cōuenerat) non accesseris, scribis ad me fuisse raucedinem, quæ nō permisisset vocē in disputando exaudiri, propterea literis te mandasse dicis ea quę ad disputationē decreueras afferre; addis scripta longe præponenda esse disputationi, quæ coràm fit, quòd & iurgiis careat & clamore. Equidē licet ex eorū numero sim, qui in disputādo ne latum quidē vnguem a re proposita discedunt, clamores, cōtumelias, iurgia quātū in me est oderim, in quæ prudētes viri nō possunt aliquādo non incurrere, Sophistarū & imprudētū ineptiis ac pertinacia irritati, Probo tamē sententiā tuā, et scriptā disputationē colloquiis longe vtiliorem fore existimo, nō eo nomine quidē quòd careat contētione, sed quòd possit absentibus tanquam præsentibus non paruā vtilitatem afferre, &

iunioribus philosophiæ studiosis veritatem enodare; perlegi quæ affers aduersus Aristotelem de Putredine, ad quæ diluenda aggrediar, si tibi antę in memoriam reuocem quales esse debeant æqui sapientum reprehensores, vt nomen detractoris effugiãt. Docet id præclare Socrates, cũ tria desiderat in reprehensore adhoc vt aliorum opera iure damnasse videatur. Primum vt probe intelligat quid sit illud de quo agitur, ne aliud damnet Censor, aliud tractet Author. Alterum vt artem definiendi, diuidendi, ratiocinandique methodum ad vnguem teneat, ne ipsę turpiter fallatur, cum nititur aliorum errata patefacere, neue per ambages ac veluti per labyrinthum vagetur atq; erret. Tertiũ est vt omnibus pręferat veritatem tanquã iusti & æqui amator, non odio, non inuidia, non quadam ambitione moueatur, quæ profundas tenebras cõsueuerunt oculis obducere; sic.n quasi Lesbia regula censor aliorũ sententias metiretur. Quicunq; tria hæc fuerit assequutus quæ requiruntur in censore, cum sapiens necessario sit, merito de sapientum scriptis suum ferre iudicium poterit. In hæc tanquã in speculum inspexisse te existimo, cum sapientissimũ omniũ philosophorum Aristotelem reprehendere in animo induxisti, fretus.n.(quantum arbitror) exacta cognitione rei, de qua disputatur, summa peritia

differendi,veritatis,non contentionis,inuidiæ,aut ambitionis ſtudio, tam duram prouinciam ita ſecurus cœpiſti. Ego vero exiſtimans talem te futurum,qualem tu tibi polliceris,nō inuitus ad differendū de iis quæ cōtra Ariſtotelē a te de Putredine adducuntur me accingam, ſi ante propoſuero ea quæ in fine tuæ tractationis a te colliguntur errata contra definitionem Ariſtotelis de Putredine traditam quarto libro Meteororum,hæc quindecim, a te numerantur, quæ quia pauca iudicas, addis & multa alia eſſe peccata Ariſtotelis de Putredine,de quibus tu tantó diligentius te tractaturum polliceris, quanto iudicas rem ab Ariſtotele traditam fuiſſe negligentius; vtar autem tuis verbis in erroribus enumerandis.

Errata quæ Ariſtoteli de Putredine imponuntur. Cap. II.

IMPRIMIS Ariſtoteles damnatur quòd Putredinem dicat eſſe caloris innati corruptionem, cum non caloris ſed ſubſtantiæ ſit corruptio,fiatque ab ipſo calore,non autem ſint caloris corruptiones.

Quòd nō doceat cur Putredo ſit corruptio, & quot modis res corrumpi poſſit.

Quòd Putredinem opponat Generationi.

Quòd nõ doceat cur ea duntaxat corruptio, quæ à calore fit in humido, Putredo vocari debeat.

Quòd Putredinis differentias non explicet.

Quòd calorem & frigus Putredinis causas ponat, nec doceat quo pacto frigus id faciat, nec postea vnquam vtitur frigore pro causa.

Quòd male statuat Putredinem omnem fieri, à calore aëris ambientis.

Quòd non doceat qualem oporteat esse calorem, qui efficit Putredinem.

Nec quòd humidum patiatur à calore in Putredine.

Nec mentionem faciat substantiæ quę in Putredine afficitur & corrumpitur.

Nec modum omnẽ explicet, quo fit putredo.

Nec cur humida reddantur quæ putrescant & calidiora.

Quòd multa scribat de subiectis aptioribus ad Putredinem, quæ falsą docet esse experientia, aut alia ratione contingat quòd fit, quàm ipse tradat,

Quòd non recte explicet causam qua fit vt sicca tandem euadant quæ putrescunt.

Quòd non recte explicet causam qua fit vt animalia gignãtur ex rebus putrescẽtibus.

Hæc sunt vitia in quę pręcipue tibi delapsus fuisse Aristoteles videtur, eadẽ tu, quę tua est

modestia, nõ vt cum philosophorũ principe contendas, sed vt veritas (inquis) magis elu cescat, perpendi à nobis desideras. Multum profectò tribuis Aristoteli, cum philosopho rum principem appellas, cuius quidẽ obliuis ci videris cum sermonis progressu non vt decet philosophum de Putredine tractasse eundem asseris, ita vt nõ solum non retineat principatum inter philosophos, sed ne inter eos quidem annumerari debeat, quando nõ scribit vt philosophum decet: propterea ad mones philosophiæ studiosos, & bonarum artium professores, ne sententiis eius subscri bant, sed quo ferat rationis impetus libere ducantur; quicquid de Aristotele senseris, tu vide. Ego (quæ meæ partes sunt) dabo operam, vt petitioni tuæ satisfaciã, & in hoc certamen ingrediar non contentionis, vt tu scri bis, sed veritatis causa, si quando autem libe rius tecum agam æqui bonique consules, vt inter philosophos & amicos cõuenit, quod eo facilius, à te impetraturum me confido; quo te etiam liberius in Aristotelem inuehi perspicio; liceat mihi tecum eo iure vti quo tu cum Aristotele. Cum duo apud veteres vsitata fuerint disputandi genera; alterum tantum sequemur, quod & philosophos & veritatis studiosos decet; Non te latet alterum ex his esse quod διδασκαλικὸν appellarũt, quo vtebantur philosophi & veritatis ama-

tores dum alios docerent, vt de re proposita quid vere sentiendum esset exacte cognoscerent. Alterum quod ἰσικα τῶ λόγου dixerunt quasi captiosum ac litigiosum, illis maxime opportunum erat, qui ostētationis, aut quæstus gratia philosopharentur, Sophistæ dicebantur. Nos igitur hoc relicto tāquam à nostra professione alieno, illud sequemur quod te quoque secutum esse non dubitamus, sed cominus rem iam aggrediamur. Cum tota disceptatio ferè pertineat ad definitionem traditam ab Aristotele de Putredine, satius est ab hac ordiri, eamque non solum proponere, sed ad viuū etiā resecare; sic enim patebit an praua et vitiosa sit (vt tu iudicas) an magis integra, & omnibus numeris absoluta. Putredo (inquit Aristoteles) est interitus proprii atq; innati caloris in vnoquoque humido ab alieno calore, hic autē est ambientis.

Definitio Aristotelis de Putredine et fundamenta ex quibus elicitur. Cap. III.

HAEC est Aristotelis definitio quam tu funditus euertere tentas, vt autem recte ne explicata sit ab Aristotele putredo, & expressa prædictis verbis, inuestigemus; expedit conditiones, quas in optima definitione sapientes requirunt, explicare, quas si in putredinis definitione reperiemus, nullum sa-

cessent deinde negocium, quæ à te contra ipsam obiiciuntur. Optima definitio causam reddit eorum omnium quæ necessario definitum consequuntur, per quam & incómoda omnia vitantur quæ videntur obiici posse, & dubitandi causæ patefiunt, quamobrem si definitio quàm Aristoteles tradit causam reddat eorũ quæ ad putredinem necessario pertinent, si dubitationes dissoluat, & vnde nascantur aperiat, firmam & stabilem esse obtinebimus. Expositurí autem Aristotelis definitionem, ante quasi fundamenta iaciemus quibus tota definitio nititur, rem paulo altius repetẽtes. Ergo à primis qualitatibus calido, frigido, humido, sicco, mixta corpora omnia conficiuntur, ex his duæ vim habent agendi, totidem patiendi; Agit calor & frigus, sed patitur humor ac siccitas, caloris actio in similium, frigoris vero in multiformiũ coniunctione consistit; at humor & siccitas nó agentes, sed patiẽtes qualitates dicũtur, quòd à calore & frigore efficiãtur. Est autem humor qualitas, quæ suo termino nó finitur; sed alieno facile obedit, & facillime quæ imprimũtur admittit: impressam tamen formã per se retinere minime valet, è contrario siccitas facilè suo, ęgrè alieno termino finitur, impressam tamẽ formã quã vix recepit diu retinet; atq; hinc fieri constat mixtorum corporũ varios situs, ac figuras diuersas, siue

totũ,siue partes inspicias,quæ quidem vt humoris beneficio imprimuntur, ita siccitatis ope reseruantur, quamquam hoc in simplicibus corporibus vocatur in dubium, nec de eo inter omnes conuenit.

De causis generationis simpliciter. Cap. IIII.

QVATVOR igitur hæ primæ qualitates, quatenus (quomodo iam dictum est) agunt,& patiuntur,causa sunt rerum omniũ quæ generantur & intereunt; neque enim aliunde generatio oritur aut interitus: tunc enim generatur vnumquodque cũ ab agentibus qualitatibus patientes ita superantur, vt certam formam recipiant: sequitur autem interitus vbi patientes qualitates quæ in generatione vincebantur ab agẽtibus, easdem vincunt; & simul quam ab illis receperant formam, amittunt. licet autem tam frigus quàm calorem effectrices causas generationis posuerimus, non tamen æqualis in vtroque efficientia reperitur, nam frigus nõ simpliciter generationem efficit,sed potius efficiendi socium dici potest: at calor verè subiectam materiam mutat, eamque fingit ac format, ita vt vere artifex & generationis opifex & author præcipuus dici calor debeat, frigus non tanquam efficiens principale, sed tanquam adiuuans ad generationem requiritur,cum calori adiungitur, vt nimiam eius

vim frangat ac remittat; quandoquidem pu rus ac ſimplex calor ſummus eſt, qualẽ ignis præſefert, hic autem abſumit omnia & in na turam ſuam conuertit ob vim eximiam effe-ctricem, quam habet. neceſſaria igitur fuit cum calore frigoris colligatio, non quo fri-gus per ſe generet, (vt diximus) quum hoc ſit opus caloris, ſed quo veluti cauſa ſine qua purus calor generare minime poſſet; eadem autem eſt ratio ſiccitatis, & humoris inter ſe, quæ ſunt patientes qualitates, & materia generationis, quam inter calorem & frigus eſſe demonſtrauimus; reſpondet humor ca-lori: frigori, ſiccitas: nam præcipuam vim ma teriæ ad generationem confert humor, qui formam à calore impreſſam recipit, ſiccitas vero eatenus materia generationis efficitur, quatenus humorem temperat & ſtabilem ac firmum reddit; humor ſiquidem natura cum maxime fluat, & impreſſas formas nõ ſeruet, eget ſiccitate. quæ adiuncta ipſum temperet, atque id præſtet quod à frigore præſtari in agendo declarauimus: ex actione autem calo ris, à frigore temperati in ſubiecta materia humore videlicet per ſiccitatem confirma-to, forma producitur omnium quæ generan tur; intelligo autem primam illam formam, quæ mixtorum omnium corporum eſt com munis, non illam quæ propria eſt vniuſcuiuſ que vt metallorum, lapidum, plantarum,

animantium, Eam igitur mutationem Aristoteles simplicem esse voluit mixti generationem.

De causis interitus. Cap. V.

HVic opponitur interitus, quem Aristoteles φθοράν appellat, quo vocabulo significatur quiuis modus intereundi; Scire enim conuenit interitũ in mixtis corporibus fieri cũ calor vincitur ab humido, & nõ amplius vincit, sicut in generatione vincebat, vincitur autẽ calor ac deficit nõ secus quàm cætera omnia cum a suo cõtrario superantur, vt humor, a siccitate, siccitas ab humore, frigus a calore, ita calor a frigore; porrò calori euenit vt altero etiam modo deficiat qui nõ est cõmunis aliarum qualitatum sed eiusdem proprius, fitq; per defectũ subiecti seu alimẽti ac pabuli, quo nutritur, nam ignis inter elementa solum nutriri dicitur. quamobrem & calor quoq; inter qualitates solus nutriri dicetur, siquidem maxima inest vis agendi igni & calori, quæ non sic inest aliis qualitatibus, atque elementis vbi priori pabulo absumpto non detur nouum, deficiet ad defectum subiecti seu alimenti.

De duplici genere interitus naturalis et uiolenti. Cap. VI.

EX his duobus modis quo calor interit ille qui à contrario proficiſcitur σβέσις appellatur,& eſt omnino violentus non ſecun dũ naturã,nam quæ naturaliter intereũt nõ interimuntur a frigore ſed ob defectum alimenti & humidi quo paſcitur ac retinetur calor,atq; hunc modũ μάρανσιν appellant,Di co autem hunc modum interitus, eſſe ſecun dum naturã, quoniã ſic corpora omnia quæ natura conſtant,nulla etiam adueniente cau ſa violenta,tandem neceſſario diſſoluuntur; vt animalia, poſt ſenectutẽ,plantæ poſtquã inaruerunt, lapides cũ in puluerem diſsipan tur,mixta enim omnia ſiue ſint animalia, ſiue plantæ, ſiue inanima,tandem hoc modo etiã conſeneſcunt & intereunt;cum ſcilicet internus ipſorum calor corrũpitur defectu alimenti; neq; minus naturalis eſt hic modus interitus quàm ipſa generatio in qua internus calor humorem vincens formabat.

Ex defectu alimenti fieri interitum caloris & naturalis uiolenti. Cap. VII.

ILLVD autem animaduertere oportet; quòd quamuis dixerimus extinctionem caloris eſſe à contrario, & naturalem defectu ſubiecti, poteſt tamen euenire vt detur etiam interitus caloris violentus ob defectum ſubiecti, & ita caloris violenta extin-

ctio non solum erit à frigore, sed ob defectú subiecti: præterea interitus caloris ob defectum subiecti non solum erit naturalis sed etiam violentus. extinctio quidem à frigore quo pacto violenta sit, & non secundum naturam iam satis ostésum est; itē ea quæ naturaliter intereunt intereunte calore, non propterea deficere quod à frigore mutentur, si quidem est hæc mutatio violéta. Ex defectu autem alimenti potest esse modus interitus naturalis & violentus: naturalis quidem est quem diximus sine aliqua adueniente causa violenta necessario processu temporis in animalibus, plantis, lapidibus cum intereunt deficiente subiecto, hunc Aristoteles cuiusque rei vitæ periodum appellat, atque hoc ipsum fatum est quod à Peripateticis conceditur. Sed causam quam supra omisimus, nunc addimus. Fit autem naturalis interitus caloris (vt vtar verbis Aristotelis) à seipso, nam calor interimitur à calore, calor scilicet internus ab externo, à quo absumitur alimē tum interni vt infra ostendemus, & ita deficit calor naturalis ad defectum alimenti. Verú violéter quoque interit calor deficiente subiecto nó amplius à seipso. hoc est, à calore extraneo, sed vel ab humore, vel à siccitate; humor quidem cum nimis redundat strangulat calorem, neque patitur fieri perspiratum, vnde calor retentus efficitur maior &

absumit alimentum preparatum ex humido statim, & cum non inueniat nouum idoneũ, extinguitur; Siccitas eatenus potest violenter defectu alimẽti calorem extinguere, quatenus calor debet nutriri humore tanquam proprio pabulo; nãque hãc diximus propriã esse naturam caloris. At siccitas quæ solùm necessaria est ad temperandum humorẽ, vbi nimia sit, iam superat humorem, vnde fit violentus defectus alimenti quo pasci calor debet. Hinc apparet quàm vera sit sentẽtia Hippocratis cũ scribit in libro de Natura hominis, ab excessu vniuscuiusq; ex quatuor qualitatibus effici interitum. Quamuis.n. debeat ad interitum mixti interire calor, potest tamen vnaquæque quatuor qualitatũ calorem interimere vel extinguendo per contrarium sicut frigus, quam extinctionem violentam esse diximus: vel suffocando sicut humidum, quod similiter reducitur ad defectũ alimenti, & est modus violentus; vel vt siccitas itidem per defectum alimenti quod est humidum, qui modus etiam est violentus, quem tantum conspicimus in his quæ violẽter intereunt; vel fit interitus rei mixtæ à calore, qui modus solus est secũdum naturam, quo res naturales omnes intereunt nulla adueniente causa violenta, cùm scilicet, à calore externo consumitur internus, hoc autem fit per defectum alimenti in hunc modum; Ex-

ternus calor qui corpus mixtũ ambit, ſuam vim exercens rareſacit ac relaxat, ex relaxatione autem ſeu raritate ſequitur vt intus penetret, & penetrando internum calorem augeat, ac frigus illud vincat, quo internus calor temperabatur: at vbi augetur internus calor, vltra debitum modum, & conſumit ſtatim alimentum & pabulum humidi quo retinebatur, ita vt nihil reſtet alimenti idonei & pręparati ad calorem nutriendum; quamuis autem reſtet humor & nõ totus abſumatur, non tamen eſt idoneum pabulum caloris; abſumpto ergo quod idoneum erat, deficit calor & euaneſcit deficiente alimento, vnde fit μάρανσις: ille autẽ humor, qui tũc reſtat in mixto, cũ eſſet materia formata, à calore, deſtituitur propria forma, vnde nõ amplius retinetur termino, quo retinebatur, ſed ad ſuperficiem rei effluit & elabitur; videmus enim quæ ſic corrumpuntur externe humida eſſe, interne ſicca.

Modus quo conſumitur calor internus ab externo. Cap. VIII.

Eivsmodi conſumptio caloris interni ab externo, paulatim fit ab ambiente, & proceſſu temporis ſecundum quem modum diximus omnia quæ genita ſunt ætate marceſcere ac corrumpi, verum id quod in omnibus

bus necessario processu ætatis fit vt scilicet tandem vincatur calor internus ab externo potest breuiori tempore fieri si ambiens calor nimius sit & vehementior, cuiusmodi solet esse calor æstiuus qui paucis diebus id efficit quod processu temporis & multis annis faceret calor externus magis moderatus.

Quid per calorem ambientis intelligere conueniat. Cap. IX.

VERVM calor externus & ambientis, nō intelligendus est calor aëris, sed quicunque calor ambiat rem, siquidem aër externus non minus est frigidus hyeme, quàm calidus æstate, propterea non deberet facere interitum magis quàm conseruationem, si interitus fit à calore aëris, constat & hyeme & ęstate & quouis tempore, & sub quouis cœli statu, ac regione absumi internum calorem, & hinc prouenire senium in animalibus, ariditatem in plantis, dissolutionem & quasi diremptum earum partium quæ iunctione aliqua tenebantur, in lapidibus & metallis, & in omnibus quæ carent anima. quā-obrem calor ambientis non potest simpliciter intelligi calor aëris: quid autem intelligendum sit subiiciendum est. Statuamus calorem in animalibus & plantis retineri humido, & eo nutriri, dum nutritur autem ne-

cesse est vapores & fuligines ab humido sicut à candela cum incenditur expirare,& effluere assidue: nam ignis natura est vt assidue fluat:exeunt ergo vapores &.veluti fuligines calidę ab humido dum nutritur calor, eiusmodi autem fuligines quæ debent exire si retineantur cum calidæ sint calefaciunt,& cum non sint propriæ humoris quem ambiunt, sed tanquam res externa, habent vim ambientis & externi calidi, & eodem modo consumunt internum: retinentur autem in corporibus nostris ex prohibita transpiratione adstrictis vel obstructis viis per quas exire debent:quocirca medici prohibitam transpirationem causam ponunt cur humores in corpore nostro corrumpantur & febres accedant. Potest etiam frigus aëris densando corpora animalium & plantarum perspiratum eiusmodi prohibere efficereque vt vapor ille calidus retentus vim habeat calefaciendi,tanquam res ambiens.In corporibus quæ carent anima res non ita manifesta est, quia minus calida sunt,quamobrem non apparet perspiratus sed tamen aliquem fieri ratio dictat,& tanto obscuriorem quanto minorem calorem habent:hic tamẽ ab aëre frigido prohibetur,quo fit vt retentus ille calor qui deberet expirare, vim habeat caloris ambientis,& ita absumat internum, idcirco & corpora inanima tam hyeme quàm æstate

absumuntur & calore innato destituuntur, non secus quàm animalia & plantæ: vbicunque igitur interimitur calor internus ab externo, est corruptio naturalis, sed maxime secũdum naturã illa est, quæ processu ætatis, non autem ex morbo aut ex cœli statu calidissimo prouenit.

Quæ species interitus generationi simpliciter opponatur. Cap. X.

HAEC autem corruptionis species est quę generationi proprie opponitur, nam hęc est finis ipsius senectutis & ariditatis, in qua innatus calor non violenter sed naturaliter absumitur, hæc generationi opponitur, non quidem huic vel illi, sed generationi absolutæ & in vniuersum: opponitur autem tanquam genus quod Aristoteles dicit vt commune contrarium, naturalis enim corruptio quam diximus genus est naturaliter opposita generationi, hæc autem apud Græcos nomen non habet, nã per φθορὰν vt supra diximus significatur quicunque interitus & nõ tantum naturalis. Verum Aristoteles hanc naturalem corruptionem σῆψιν & σαπρότητα hoc est putredinem appellat quãquam hoc vocabulum magis significet terminum & finem corruptionis naturalis, quàm hanc mutationem, quæ in intereundo fit: finis autem

ſeu terminus naturalis interitus non ſolum in ſenectute animalium & ariditate plantarum, ſed in omnibus corporibus cōſpicitur: omnia ſiquidem ad putredinem terminantur, cum deficiente interno calore ob vim externi, & humido non amplius retento, frigida euadunt & ſicca. Medici putredinem accipiunt non pro modo ſed pro via, cum dicūt febres ex humorum putredine accendi, neque enim tunc adhuc eſt putredo ſed fit. Sed reuertamur vnde digreſſi ſumus, hoc eſt ad definitionem Ariſtotelis de putredine explicādam: id quod facillimum erit, iactis fundamentis, & principiis ſtabilitis, quibus tota definitio nititur. Putredo eſt interitus caloris proprii, & ſecundum naturam in vno quoque humido, ab alieno calore, hic autem eſt ambientis.

Explicatio definitionis traditæ ab Ariſtotele de Putredine. Cap. XI.

VTITVR Ariſtoteles in definitione putredinis vocabulo φθορὰ, ideſt corruptio, quod vero putredo ſit corruptio, non quæuis, ſed naturalis, ad quam ſecūdum naturam terminantur omnia quæ generantur, ſatis in ſuperioribus memoriæ proditū eſt: vbi dictum eſt in corruptione naturali proprium & naturalem calorem abſumi ab ex-

terno:quamobrem ſi putredo eſt illa corruptio,quæ ſecundum naturam ſit, neceſſe eſt eam eſſe corruptionem caloris proprij, ac ſecundum naturam à calore externo, & ita ex ſuperioribus facilè patefit tota definitio putredinis,quam tradit Ariſtoteles,in qua tamen addit(in humido) hoc eſt putredo eſt corruptio caloris in humido , vbi illud animaduertere oportet quòd calor ignis qui penitus eſt expers humoris,nullo naturali interitu corrumpitur,cum ſit omnium agentiũ efficaciſſimum,quamobrem ſi debet naturaliter corrumpi calor,neceſſe eſt non eſſe calorem igneum , ſed qualis eſt calor aëris id eſt cum humiditate,hic igitur ſecundum naturam corrumpitur & eius corruptio dicitur putredo, nam quæ putreſcunt habent hunc calorem proprium ac ſecundum naturam. eſt autem calor proprius vnicuique rei diuerſus pro diuerſa temperatione, quam recipit à frigore maiori vel minori: hunc autem calorem,quem proprium dicimus eſſe vnicuique mixto,conſtat etiam eſſe ſecundum naturam,nam ſi vel augeatur vel minuatur recedit à natura illius.Ponit etiam Ariſtoteles in definitione cauſam cur fiat putredo, efficientem ſcilicet,quam dicit eſſe calorem ambientis,hoc eſt aëris aut alterius quod ſimiliter ambit,quomodo autem ambientis calor cóſumat internum calorem primo augendo

atque intendendo eius vim, & deinde absumendo alimentum, abunde supra explicauimus, nam licet remaneat humor non est tamen idoneum alimentum neque pręparatū, idcirco defectu alimenti extinguitur internus calor, neque trahit amplius, aut præparat nouū alimentū ex humore qui superest, quo fit, vt deficiente calore, humor formam suam amittat, & à sicco separetur, atque ad superficiem feratur, id quod Aristoteles indicat, cum ait, ea quæ putrescūt extra humidiora, intus vero sicciora conspici. adhoc opus concurrit præcipue calor extraneus, vt diximus, sed cōcurrit etiam frigus, quod Aristoteles facile exprimit, cum dicit, defectum caloris interni frigus esse, nam in eiusmodi interitu, calor externus qui est præcipuum agens, extinguendo calorem adiungit etiam sibi frigus socium efficiendi interitum, illud autem frigus non nouum est, sed id ipsum quod ante temperabat calorem, & in interitu relictum sine calore, est aliquo modo causa putredinis.

Damnatur temeraria reprehensio Aristotelis. Cap. XII.

HAec sunt quæ ab Aristotele de putredine constantissime afferuntur; manant. n. ex principiis à quibus ferè tota naturalis philosophia dependet, quæ qui intelligit, nō po

test non asserere atq; affirmare, siquis repu gnet necesse est ne pictum quidem philoso phum (vt aiunt) vnquã vidisse; aut talẽ esse vt in altercando parem non inueniat: quod cum ita sit, nequeo satis mirari, quo pacto id tibi in mẽtem venerit, vt coneris clarissimis rebus tenebras obducere, & quæ præclare tractata sunt labefactare, niteris enim bene constitutam philosophiã nõ secus quàm Ti berius Gracchus Romanorũ rempublicã be ne constitutam perturbare atque euertere, sed quũ te virum optimũ & minime seditio sum semper existimauerim, vereor ne quasi alter Antisthenes sensu philosopheris, neue putes sensu diiudicãda esse quę à physicis cõ templantur, sicut pleraq; ex iis quæ tractan tur in Medicina. quã tu fortasse fœlicius pro fiteris. Pro eo igitur quanti te facio moneo, & hortor, ne posthac à præcepto illo diuini Platonis recedas, iubet.n. vt quã quisque no uit artẽ in ea se exerceat, quod si physica tra ctare prorsus decreuisti, relicta medicina diu tius in illa incumbe, vix.n. omni studio ac di ligẽtia adhibita, nihil aliud agẽdo, nihil dies noctesq; cogitando percipiuntur, quæ adeo recondita sunt atq; abstrusa, quod vbi fece ris, siquid tunc errasse videatur ille quẽ phi losophorũ principem appellas, ne statim co gites simpliciter hominem fuisse, sed eũ ho minem vt scribit Lucretius de Epicuro.

Qui genus humanū ingenio superauit et omnes
Restinxit stellas, exortus uti æthereus Sol.

Perpende quale putes fuisse ingenium, quod iudiciū Aristotelis, deinde tuū cum illo confer, nō.n. noui te gloriosum, atq; adeo immo destū, vt ex conferenda atq; assimilanda vi vtriusq; ingenii dissimilitudinem aliquā nō sis percepturus, quòd si cōparabilē te cū ipso existimes saltem à te impetrabo vt quæ post hac aduersus sapientes scribere aggredieris, diutius custodias vt soles nō statim præcipites, nam qui statim in vulgus edunt quæ cōponunt, similes sunt (inquit optimus ille Epictetus) pecori quod cū statim euomat, quod ingessit a pastoribus reiicitur ac segregatur, vtpote quod neq; lac, neq; lanā proferat. Hæc vbi diligenter cōsideraueris æqui boniq; cō sules, & posthac magis dabis operā vt Aristotelis sententias assequaris quàm vt euertas.

Solutio dubitationū contra Aristotelem C. XIII

SEd venio ad ea quæ à te vocatur in dubiū cōtra Aristotelē. Et primo de definitione putredinis reprehendis Aristotelē, qui definiēs putredinē esse corruptionē, causam nō reddit cur putredo sit corruptio, & ita rē maximi momēti prætermittit; tu vero ob incredibile studiū quo literarū professores prosequeris, tanti ponderis rationē quā excogitasti neminem (vt ais) latere voluisti, hāc expri

mis his verbis:Corrupta dicuntur quæ nunquã ad priſtinam naturam redire poſſunt cuius generis ſunt putrefacta, merito illa corrupta,& putrefactio corruptio.

Sed audi quid ad hæc dicimus. nec potuit nec debuit Ariſtoteles dum in putredine definienda dixit eam eſſe corruptionem aliam cauſam afferre,quã attulerit,cũ dixit,quæ ſecundũ naturã corrumpuntur in putredinem deſinunt. quod patet ſingillatim perſequendo vnãquãq; ſpeciem eorum quæ naturaliter corrũpuntur; putreſcunt enim ita vt putredinem eſſe corruptionẽ clarius ſit quàm vt demonſtrari debeat, id ſi intellexiſſes nõ fruſtra laboraſſes in cauſa inuenienda, per quam partes definitionis quæ ſcientiæ principium eſt,demonſtrares;ratio vero quã adducis præter quàm quòd omittenda fuit,vitioſa eſt, nam & ſtatuit tãquã certum id de quo quæſtio eſt, id quod optare eſt nõ probare;& extra omnem normam ratiocinandi quõ vult peruenire intendit, id euenit iis qui rerum nouitate cõmouentur, & per diuerticula ambulantes à recta via declinant, per quam proficiſci ſapientes conſueuerũt, potiſsimũ Ariſtoteles, de quo vere dixiſſet Protagoras hominem eſſe omnium menſuram. Diſſentis item ab Ariſtotele cum putredinem ponit eſſe interitũ caloris,hoc tu nullo modo concedendum putas, inquis enim.

Ponere putredinem esse corruptionem calo ris suis principiis & multis aliis repugnat, nã si paulo ante posuit hoc principium, gene rationes & corruptiones à calore & frigore fieri, non potest corruptio esse ipsius caloris, quod enim corruptionem facere aptum est, nequit esse id ipsum quod corrumpitur. Vti- nam æque euitari posset quoduis incõmodũ atq; hoc vitatur. Vis tibi dicam quod sentio? vereor ne nugeris, nõne vides in verbis esse captionem, neq; n. est idem calor, qui corrũ- pit, & qui corrũpitur, hic externus est atque ambientis excedens modum: ille internus proprius secundum naturam ac moderatus: quid absurdum si ab externo internus, si ab immoderato moderatus corrumpitur. Da- mnas item cum corrumpi dicit calorem, quẽ potius alterari & non corrumpi alibi docue rat. Putarem te authorem esse huius argu menti nisi apud iuniores philosophos & eos proprie qui in exilibus ac spinosis quęstioni bus versantur passim legeretur, hoc adeo ve- tustum est, vt quasi lacera vestis sine porto- rio circumuehi possit. Dic quæso, cum inte- rit calor proprius ac naturalis rei, an res ipsa intereat? hoc scio fateberis: cum ergo ad in teritum proprii caloris interit res, tunc ha bet vim formæ calor in mixto, ita vt proprie dicatur corrumpi & non alterari. Aristoteles autem primo libro de generatione & interi

tu vbi tátum mutantur qualitates, alteratio nem appellat, & non corruptionem, cum maneat ſubiectum, cótra eos qui alterationem cum corruptione cõfundebant: hæc dixi breuius quàm res petebat, quoniam ſatis in ſuperioribus fuerunt dilatata, vbi quo pacto internus calor ab externo corrumperetur monſtrauimus; nec placet quòd eos irrides, qui aut calidum pro calore, aut calorem pro calido accipiunt: animo falleris, ſi ita rudes illos putas, vt quid interſit, inter qualitatem & quale non diſcernant, ſed mos fuit apud philoſophos, & nunc eſt apud doctos quoſque neglectis nominibus, in rebus verſari: hoc enim ſi faciamus (inquit Plato) doctiores ad ſenectutem perducemur, quamobrem ſæpe vnum pro altero accipitur, ac ne longius abeam, in ipſa tractatione de putredine Ariſtoteles nunc caloris, nunc calidi vocabulum vſurpat, vt qui nomina paruipendat, ſatis enim habet ſi communia ſint & vſitata, interdum tamen vt Sophiſtarum laqueos atque aculeata ſophiſmata effugiat, vtrunque vocabulum apponit ſicut in libro περὶ τῶν κατηγοριῶν in capite quod inſcripſit περὶ ποίου καὶ ποιότητος audierat enim Platonem qui in Cratylo ſcribit ποιότητα nouum eſſe vocabulum cum alii ποῖον dicerent, ſed quale non poteſt eſſe ſine qualitate, nec qualitas ſine ſubiecto quali, niſi quatenus vnum ab

altero mente seiungitur ac separatur: nihil ergo interest, siue hoc, siue illud verbum proferas. Desine igitur iam perturbare illos qui à verbis vsitatis non discedunt; & à quibus re ipsa non dissentis. Prætereo multa quæ in illos adscribis, sunt enim ex eorum genere quæ Aristoteles solet σοφιστικὰς ἐνοχλήσεις appellare. Moues præterea controuersiam de calore quòd non possit putrescere, inquis.n. nemo dicet calorem putrescere, aut putrefieri, aut putrefactum esse, nimirum quòd hæc nomina passionem significent, quæ iis quæ pati sunt nata tribuenda sunt, non illis quorum officium & natura est agere, & passiones inferre. Videbitur hęc tua ratio eo fundamento hęrere quòd res quæ efficit nullo modo efficiatur, & propterea calorem cum efficiat corrumpi posse non credis; dic per Deos immortales apud quem authorem legeris hoc fundamentum? apud nullum respondebis, quod facilè crediderim, nemo enim nisi communi sensu penitus careat, hoc afferet. si dicas te huius sententiæ authorem, profer ex rebus naturalibus aliquid efficiens, quod continuo etiam non efficiatur: percurre singula, videbis ea quę efficacissima sunt in agendo, & ipsa tandem mutari, ac superari, quæ cum sensui minus manifesta sint, non est quòd exponantur aut probentur, siquis vel primoribus labris naturalem

philosophiam deguſtauerit, iam intelligit quodlibet efficiens vt efficit, ita etiam efficitur, immo & dum efficit. aliquid etiam mutatur ac vincitur. Laberer longius, ſed pudet contra præceptum Ariſtotelis de naturali philoſophia cum eo diſſerere, qui eiuſdem principia ac fundamenta tollit, vbi enim pedem ponet ſublatis fundamentis naturalis philoſophia non habebit. Inſtas etiam putredinem non eſſe caloris interitum, quoniam putreſcunt etiam quæ caloris ſunt expertia vt aqua. Quod quidem argumentum vulgatum eſt, nec poſſum adduci vt credam apud eoſdem authores non legiſſe te diſſolutioné, apud quos & argumentum legiſti. Concedunt enim aquam vbi non moueatur putreſcere, quod ſenſu deprehenditur, ſed negant ipſam omnino eſſe expertem caloris quum non ſit ſimplex ac purum elementum. Obruis Ariſtotelem multitudine argumentorum dum ſingula quæ ab eo de putredine afferuntur funditus euertere contendis: ſcribit enim Ariſtoteles, Putredinem generationi proprie aduerſari tanquam commune cótrarium. Inſtas Putredinem, quæ ab eo definita eſt, non eſſe commune contrarium, quádoquidem multæ ſunt corruptionis ſpecies generationi oppoſitæ, quæ tamen ſub putredine tanquam ſub genere non continentur, non eſt igitur putredo commune contrariú.

quòd vero plures sint species corruptionis quę non comprehenduntur sub putredine, noua corruptionis diuisione assignata con firmas, diducis corruptionem in duo gene ra, in id quod à forma contraria, & in aliud quod à vitiato subiecto interimitur: hoc se cundũ genus rursus in duo distribuis, in cor ruptionem videlicet partium simplicium & instrumentorum; corruptioni partium sim plicium quatuor species subiicis prout qua tuor sunt primæ qualitates, calor, frigus, hu mor, & siccitas, quarum singulæ, causæ sunt interitus: corruptioni instrumentorum plu res species subiicis propter varios modos quibus instrumenta corrumpuntur, vt pro pter vitium conformationis, magnitudinis, numeri, cõiũctionis, & vnitatis, quos omnes modos seu species interitus dari ægre demõ stras, quis enim ais viueret si haberet cere brum in thorace, aut esset sine pulmone, quæ cum legerem risum vix continere poteram, solummodo mirabar, te non acriter repre hendisse eo loco illos qui credunt, homines exciso liene non solum viuere, sed etiam esse ad cursum aptiores. Ex his omnibus modis quibus fit corruptio, vnus solus est putredo, cum alii ad putredinem minime pertineant, ita vt Aristoteles veniat in crimẽ grauissimũ.

Hæc sunt quæ à te afferuntur; ego vero an tequam ad Aristotelis definitionem aggre-

diar, quã tradis partitionẽ corruptionis diligẽtius perpẽdere decreui, vt videã quàm ſis diuidendi peritus, præſertim cum te methodi magiſtrum profitearis. Illud non te latet quòd ſiquis velit cõmode partiri, illã præter cæteras in diuidẽdo præſcriptionem teneat oportet, ne id fiat vitium quod Græci ὑπέρβασιν dicunt, hoc eſt ne aliquod prætermittat ex his quæ ſupra ſunt, deſcendens ad ea quæ ſubter, cũ ſuperioribus cõiungens differentias, quę ad inferiora debuit retuliſſe; ab hac præſcriptione non licet tranſuerſum (vt aiunt) digitum diſcedere, quo vitio (quantũ equidem intelligo ac fieri poteſt ne errem) videris tu maxime premi, nam in prima partitione cũ tibi diuidenda eſſet ea corruptio, quã tãquã genus cõmune generationi oppoſitã exiſtimas, nõ adnectis differentias, quæ ſimpliciter ad omnia pertinent quæ corrumpuntur, ſed eas quæ propriè ſunt viuentium corporum, cum ponis interitum fieri vel vitiato ſubiecto, vel à forma contraria, nam à contraria forma oſtẽdis corrumpi viuentia corpora, quæ quidẽ differentia minime coniungenda fuit, cum corruptione ſimpliciter omniũ corporum, quorũ cõmunis interitus ad primã cõpoſitionem ſpectat, quam philoſophi mixti formã appellant, tu vero inſeris quæ ſpectant ad alias cõpoſitiones nõ cõmunes quidem omnium corporũ, ſed proprias

uiuentium,in eodem errore reuolueris,cum pergis diuidendo corruptionem quæ fit à vi tiato subiecto, vel respectu simplicium partium,vel respectu instrumentorum,opponis enim differentias nō pares, nam interitus à calore,frigore,humido, & sicco,pertinet ad supremum genus,nempe ad corpus simpliciter mixtum. Altera vero differentia quam tu ex aduerso opponis de cōformatione,magnitudine,numero,coniūctione & vnitate,propria est inferioris generis corruptionis, illius videlicet,quæ ad viuentia corpora pertinet: at hoc non est diuidere, sed incidere, vel potius frangere. Quo pacto igitur ad verum genus in definitione putredinis peruenies si deprauata diuidendi ratione vtaris? in cæteris rebus si prætermissum vel ignoratum est quidpiā,nō plus incomodi est,quàm quæq; earū rerū est,in quibus neglectum est aliquid:at in diuisione si diuidēdi ratio ignoretur,omniū rerum cognitionē ignorari necesse est, id in fabricando regulæ etiam ac mensuræ euenit quod præclare Lucretius his verbis expresſit.

Denique ut in fabrica, si praua est regula prima,
Normaque si fallax, rectis regionibus exit.
Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum,
Omnia mendose fieri, atque obstipa necesſu est,
Praua, cubātia, prona, supina, atq. absona tecta,

Iam

Iam ruere ut quædam uideantur uelle, ruantq.
Prodita iudicijs fallacibus omnia primis.

At vereor ne de curriculo disputationis videar deflexisse, cum diuisionem quam dedisti perpendens, Aristotelē nō tueor. Diuisionem igitur tuam cum bona gratia dimittamus, & ad dissoluendos laqueos, quibus irretitum tenes Aristotelem reuertamur; cum inquis plures sunt corruptionis species quæ sub putredine non comprehenduntur, purgatione opus est, sicut apud Rhetores cum conceditur factum culpa remouetur. Damus vltro id quod tu frustra niteris probare, multas scilicet esse species interitus quæ putredini non subiiciuntur, at non continuo sequitur putredinem non esse genus commune generationi oppositum: siquidem necesse est generationi, quæ secundum naturam est opponi corruptionē quæ secūdū naturā sit, & non violentam, sola autem putredo naturalis corruptio est, cum cæteræ sint violentæ, quod abunde in prioribus explicauimus: quamobrem minus proprie generationi opponuntur, & putredo proprie ac vere tanquam genus commune generationi aduersatur. Sed è vadis iam emersisse & scopulos prę teruecta videtur nostra defensio; quapropter perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. Magna profectò tibi rixa est cum Aristotele, cum non contentus tot exilibus rationi

bus iam positis, vlterius contortius ac pertinacius ipsum vrges. Putredinem opponi voluit ille generationi, id improbas ea ratione ductus, quòd putredo cum sit finis corruptionis & non corruptio, generationi minime opponenda esse videatur, cui corruptio opponi debet, non finis. Contendis etiam si finis corruptionis opponendus sit generationi, & non corruptio, non propterea ponendum fuisse putredinem cum non sit vere finis, sed cinerem & puluerem: huic instantię occurrimus. primo ad priorem partem dicentes Aristotelem non opponere putredinem generationi tanquam finem corruptionis, sed tanquam corruptionem, quam putredinis vocabulo nuncupauit. cum ea corruptio nomen non habeat quemadmodum ante declarauimus, ideo corruptionem, vocabulo sui finis appellauit. Sed quid in confutatione tuæ rationis operam ludo, quando tu te tuo gladio conficis, asserens in secunda parte propositæ instantiæ, putredinem non esse finem, quod in priori parte tanquam fundamentum rationis assumpseras: Concludamus igitur Aristotelem non finem fini opponere, vt calida & humida, frigidis & siccis, sed mutationem mutationi, vt corruptionem generationi. Verũ id tibi euenit quod docuit Aristoteles pauca respicientibus. euenire, nempe vt procliues sint seu magis præ

cipites ad suas, sententias proferendas. Postquam definitione oppugnata ad ea progressus es quæ definitionem consequuntur, rursus miro quodam ordine redis ad definitionem euertendam: quis te quæso docuit ita interrupte, ac deprauate disputare, & ea quæ præponenda fuerunt alienissimo loco subiicere? In aliud vitium, addis, dilabitur Aristoteles, cum in definienda putredine adiicit à calore ambientis, tanquam causam à qua putredo fit. hoc tu refellis, proponens à calore præter naturam, cuiusuis rei, non tantum aëris ambientis, putredinem excitari. at nisi oscitanter legeris, quę antequam tecum congrederemur, stabiliuimus, intelligeres scio tuam hanc rationem ruinas edere, nam quicunque calor præter naturam vim habet putrefaciendi quamcũque rem ambiat, hic aut est aër, aut alterum quod aëris modo ambiat, veluti vapor & fuligo, cum in corporibus nostris febres ex humorum putredine accendunt, nec sequitur propterea incommodum si Aristoteles pro ambiente, aërem accipiat, si quidem maxima ex parte res ab aëre circundantur, hic ferè mixta omnia corpora immutat, cum omnia ferè ambiat, quã obrem id Aristoteles nominauit quod plerunque putredinis est causa, si quãdo autem aqua putrefacit, quæ in ipsa continentur, habet etiam tunc vim ambientis, potestque &

mutari, vt à natura sua aliorum corporum mixtura recedere.

Definitio putredinis data ab aduersario & confutatio eiusdem. Cap. XIIII.

POSTQVAM ea quæ Aristoteles de Putredine tradidit funditus euertisse tibi visus es, audacter iudicium tuum interponis, statuens, Putredinem esse, quæ fit à calore præter naturam in humido cum fœtore. & addis si uis breuius corruptionem cum fœtore. Dii boni quàm es callidus & in capiendo aduersarium versutus, quem adeo tuis argumentationibus stupidum reddidisti, vt immemor esse debeat, eorum quæ tu Aristoteli vitio dabas, quorum partem tu nunc ad tuam definitionem accommodas, vt alia omittam, Putredinem à calore fieri asseris, putaret aliquis te cepisse obliuionem eius rei, at ego qui plurimű te vigere memoria pro comperto habeo, calliditati magis quàm obliuioni tribuo, sed omittamus memoriam, faciamus periculum de iudicio atque ingenio quàm acre fuerit in definiendo putredinem, cum inquis. Putredo est corruptio à calore præter naturam in humido cum fœtore. Optima profectò esset hæc tua definitio, si definientis officium esset ea prætermittere, quæ prorsus rei essentiam explicant, & ea

adiicere quæ ab eadem sunt omnino aliena. Vtrunque enim egregie præstas, cum omittis cuius sit corruptio ipsa putredo, & addis fœtorem qui nihil pertinet ad essentiam putredinis; si scires vi caloris quodlibet mixtũ contineri, & suam formam seruare, intelligeres proculdubio, si putredo est corruptio, necessario esse caloris corruptionem, quo intereunte fit discessus, ac secretio, & quasi diremptus, earum partium, quę ante interitum iunctione aliqua tenebantur; si qua autẽ particula necessaria est in definitione putredinis, vt rei essentiã exprimat maxime est hæc, caloris proprii ac secundum naturam, quod quicumque naturæ contemplationem vel ab ipso limine salutauit, tam perspectum habet, quàm quod maxime, fœtor autem quem adiicis, tamquam res aliena, putredini maxime fœtet, quæ si vocem edere posset, proculdubio conquereretur, quod à te cum fœtore quasi cum propria differentia coniungatur, ostenderet enim & alia fœtida esse quæ nihil ad se pertinent, quum non solum non sint corrupta, sed integram retineant formam naturalem; mitto excrementa, quot sunt plantæ, & simplicia medicamenta naturaliter fœtida, adeo vt non propria sit differentia, at neque etiam inseparabilis, nam lapides & quam plura alia citra omnem fœtorem corrumpuntur, adeo autem tibi arrisit

hæc differentia fœtoris,vt solam etiam corruptioni additam, putes satis putredinem explicare: adscribis enim, si placet, definies putredinem, corruptionem cum fœtore; specta igitur quàm turpe sit aliquem in eo officio labi, cuius se magistrum profitetur. Redditæ definitioni par fuit adiungere authoritatem ac fundamētum, quod tu omittens ad alia pergis, nempe ad declarandum putredinis differentias, causam efficientem, materiam, modum quo fit, præterea quis finis, quæ facilius quæ difficilius putrescant, quorum aliqua tu tandem veritate coactus, fateris hic inutiliter quæri. Ego vero alia ex superioribus patere demonstrabo, aliis, licet dimittenda essent, satisfaciam, ne videar certamen ac pugnam detrectare, & Aristotelem sine patrocinio destituere. Percontaris cur Aristoteles differentias putredinis preterierit. Respondemus philosopho satisfuisse ea quæ de putredine ab Aristotele tradũtur neque necessarium esse differentias reddere, nam si quæ sunt, omnes ad ambientis calorem pertinent, ex quo duæ differētiæ eruuntur, vna propria cum putredo tempore fit, cõmuniter in omnibus quæ genita sunt: altera per similitudinem huius, cum similiter à calore ambiente siue aeris, siue alterius proportione respondentis exiguo tempore res putrescunt, quas differentias, aperte ante

expoſuimus,ſed quas tu credis eſſe,non ſunt veræ differentiæ, nec ad philoſophum perti nent, ſed ad medicum, neque enim eodem modo eiuſdem rei tractatio ad vtrumque pertinet vt morbi & ſanitatis quod in fine libri de reſpiratione Ariſtoteles memoriæ prodidit. oſtenderem te nō minus tamquam medicum reprehenſionem incidere, quàm tamquam philoſophum cum putredinem in plures differentias ſecernis, ſed aliud ago, pe tis enim à me tāquam à philoſopho pro Ariſtotele defenſionem. Quod cauſam efficientem putredinis requiris fruſtra laboras, cū ſatis ex definitione quam tradidit Ariſtoteles habeatur, immo neque aliter definire pu tredinem potuiſſet, niſi efficientem cauſam adieciſſet, conſtat enim putredinem eſſe affe ctum rerum; cumque omnis definitio genere ac differentia contineatur, eadem neceſſaria ſunt ad proprios quoque rerum affectus definiendos, verum pro genere accipi tur cauſa efficiens, ſicuti pro differentia ſub iectum quod afficitur, hæc his qui Dialecticorum præcepta à teneris annis combiberunt euidentiora ſunt quàm vt explicari debeant. In putredine igitur definienda vtitur Ariſtoteles cauſa efficiente tamquam genere, & ſubiecto tāquam differentia, eſt enim ſubiectum calor proprius in humido ac ſecundum naturam, efficientem vero cauſam

ponit calorem ambientis, quam tu si vel considerares, vel consideratam comprehenderes, desineres mirari, & id quod habes requirere, admiramur enim cum causam ignoramus. Imponis autem Aristoteli quod tamquam efficientem causam putredinis posuerit corruptionem caloris, & quod potius debuisset ponere calorem causam putredinis; cogor tandem fateri esse te immemoris ingenii hominem, cum etiam in scriptis obliuiscaris eorum quæ paulo ante posuisti, nonne paulo ante supra, quasi aculeis pungebas Aristotelem, quod diceret putredinem fieri à calore, nonne ibi contendebas alias esse causas putredinis preter calorem? cognoscebas ergo calorem poni ab Aristotele loco causæ efficientis, nam caloris interni meminit tamquam subiecti quod in definitione loco differentiæ adscripsit; Iam vero ingenuum valde te existimo & maxime fidem habeo, cum scribis te ignorare cur Aristoteles reddens causam putredinis, frigus cū calore connectat, at scies si vt debes nō contendendi, sed addiscendi studio, ac veritatis indagandæ, quam profiteris, diligenter quæ supra scripsimus æstimabis. Petis ab Aristotele vt explicet modum quo calor quem paulo ante negasti ab eo tamquam putredinis causam poni, possit efficere putredinem. Petis item quali-

tatem caloris putrefacientis, quam inquis ab Ariſtotele prętermiſſam, eſſe vero pręter naturam, ita vt calor corrumpens ſit calor, præter naturam modum excedens aperte indicat Ariſtoteles cum ſubdit calorem cum humore extra ferri ita vt res quæ putreſcit in ſuperficie humida conſpiciatur, intus vero ſicca maneat, vt tamdem in puluerem degeneret, quod cum clariſsimum ſit facile intellexiſſes, niſi te à recta ratione cõtradicen di pertinacia detorſiſſet, cum vero deſideras in Ariſtotele vt explanet qualitatem caloris putrefacientis, et addis pręter naturam, mihi quidem riſus captare videris: nam cum calorem proprium ac ſecundum naturam corrumpi ait ab alieno calore, ille alienus calor quid ſibi vult aliud, quàm præter naturam, qui aduerſatur naturali, quem corrumpit, huiuſmodi autem eſt calor ambientis, memento tamen ex Ariſtotelis ſentẽtia per ambientem vel aerem intelligi qui plerumque ambit, vel aliquid proportione reſpondens, quod cum ſatis ſupra enodauerimus, non eſt quod inſiſtamus in confutanda ratione, quã affers de magno aceruo tritici, & de cadauere craſsiore, quæ citius corrumpi ais, quam minorem aceruum, quàm tenuius cadauer, cum tamen ab ambiente aëre vtrumque æquali tempore debeat putrefieri, ergo inquis, non à calore aeris, ſed calore præter

naturam fit putredo, reuoluimur in eodem, nam calor ambientis est præter naturam, cum ambiens vel est aer, vel aliquid proportione respondens, vt in aceruo vapor ille calidus qui ex granis tritici effluens ab ipsa superiecta multitudine obstruitur, & exitum non habens tamquam ambiens calor et præter naturam triticum corrumpit. Eadem ratio est cadaueris, nam si detur crassius citius putrescere quàm tenue, id proueniet non à calore aeris, sed ambientis internas partes, vel quòd crassius cum humidius sit, facilius putrescat quia multam habet materiam putredini idoneam, quæ non potest à calore in sua forma retineri, hoc non similiter euenit tenuiori cadaueri, quod siccius est. Requiris etiam materiam putredinis hoc est subiectum, quod putrescit, quamquam fateris positum esse ab Aristotele, quo nomine partim à te laudatur, partim refellitur: laudatur quidem quòd cõmemorauerit humidum tamquam subiectũ putredinis: accusatur quòd dixerit calorem, volueritque calorem in humido subiectum esse putredinis. Disputas etiam de causa propter quam humor tantum sit qui putrescat, nam inquis vbi non sit humor vt in igne in quo summa siccitas reperitur non fit putredo. Cui obiectioni satisfactum putamus ex superioribus, cum ostensum est, id quod putrescit, & per putre

dinem corrumpitur, esse calorem in humido siue caliditatem humidam dixeris nihil refert, nam calor qui est forma, est ille qui proprie corrumpitur, hic cum sit præcipue in humido, merito dicetur materia putredinis, calor in humido. Causa vero quam tu adducis, cur humor sit subiectum putredinis eadem similiter referri potest ad calorem in humore, quandoquidem calor cum pura siccitate & sine humore qualis est calor ignis non putrescit, quod late indicauimus dum nostræ disputationis fundamenta iaceremus, quod significauit etiam nobis Aristoteles cum dixit reliqua tria elementa esse materiam ignis: secus euenit vbi calor est in materia humida & non retinet amplius naturam ignis exquisite siccam. neque obstat pituita, quam tu penitus caloris expertem credis, & cum putrescere ipsam vides, statim in ea sententia confirmaris quòd tantum humor sit subiectum putredinis, confutauimus hanc rationem supra, quum aquam in medium afferebas quod tolerabilius fuit, nam magis excusandus eras si aqua tibi videbatur ex toto expers caloris; quam nunc cum extreme stupidus pituitam extreme frigidam existimas, est autem pituita corpus mixtum ex quatuor elementis, ergo habet aliquid caloris, facile etiam in sanguinem conuertitur ita vt à medicis appelletur

sanguis imperfecte coctus, hanc ne tu medicorũ magister & quasi alter Aesculapius nouæ medicinæ author summe frigidam iudicas & omnino caloris expertem? hæc (si Diis placet) docentur auditores? hæc probant, hæc admirantur, hæc suspiciunt, sic donantur licentia maledicendi, quam libertatem appellant, ô miseras hominum mentes ô pectora cæca. Da manus iam & concede quod clarissimi authores tam medici quàm philosophi ipsa rei natura ducti constantissime voluerunt, nõ humidum per se, sed calorem in humido esse putredinis subiectum, quod ubi feceris non dubitabis amplius quo pacto flaua bilis quæ sicca est putrescat.

Superas profectò Aristotelem, quæstiones in medium adducẽdo, nam ille tantum quæ dubia sunt, & non explicata, requirit, tu verò etiam quæ ita aperta vt in oculis omniũ defigantur, requiris enim modum quo à calore fit putredo in humido quasi hunc Aristoteles præterierit: damnas eundem quòd rationem hanc non posuerit, quia passiuæ qualitates vincunt actiuas, non ne satis tibi visus est modum posuisse quo fit corruptio in humido, cum dixit calore interno exeunte simul educi humidum ad superficiem, si posses animo comprehendere, calorem internum effingere ac efformare humidum, non dubitares de modo quo fiat putredo, cum

recedit internus calor; videres enim simul & humidum forma sua priuatum seiungi à sicco & ad superficiem ferri, hic est modus quem præclare expressit Aristoteles. Reuolueris in eodem errore sæpius requirendo hunc modum, neque miror quia ignoratis rerum fundamentis necesse est cæcorum more vageris. Quòd non reddiderit causam cur passiuæ qualitates superent actiuas, nun postulas vt principia probentur? veluti quòd contraria se mutuo destruunt, & quod potentius est vincat, si putassem à principio mihi futuram contentionem cum huiusmodi ineptiis, ac deliramentis quoduis aliud egissem potius.

Profligatæ iam deberent esse quæstiones & penitus ad exitum adductæ, sed tu vt homo perpugnax nouas iniicis. Proponis enim cõtrouersiam de iis quæ facilius aut difficilius putrescunt, vbi Aristotelem pluribus argumentationibus reprehendis, quas omnes labefactari intelliges si in memoriam reuoces quid per calorem ambientis supra intelligendum esse demonstrauimus, subduces enim tunc fundamenta dubitandi, & cum ratione ac doctrina Aristotelis congrues, qui si võles, te in pristinam gratiam recipiet; nullum enim ex tuis telis accepisse vulnus, sed quasi à plumbeo pugione innocenter ictũ se ostendet, & nihil esse quòd grauiter tibi succen-

ſeat, at ne indignabitur quidem, ſed hilari fronte te excipiet, nõ poterit enim animum non laxare & traducere ad hilaritatem, cum ſe videat in comparatione cum eo homine cõiungi, qui tritici aceruum rem vere vnam, & quæ vnum habeat calorẽ eſſe credat; obiiciatque propterea magna facilius putreſcere quàm parua quòd in paruos aceruos triticũ à ruſticis ſeparetur, vt à putredine defenda tur, ex quo colligis parua mag s reſiſtere pu tredini quàm magna; quis cachinnum, nedum riſum teneat, videns eum qui in Ariſto telem animaduertit ita pueriliter decipi, atque inepte, vt credat id vere vnũ eſſe, quod ex multis cumulatum eſt. Cæterum ne videa ris vllo loco defuiſſe in putredine explicanda, accurate etiam accedis ad finem hoc eſt ad diſſolutionem in puluerem. Cuius tu rur ſus nouam cauſam quęris, efficientem videli cet à qua fiat huiuſmodi diſſolutio in puluerem; vrges Ariſtotelem quod eiuſmodi cauſam nõ explicauerit, nam ſi dicamus cauſam eſſe calorem innatum, quo exeunte vnà ſecum effluit humor, deiicis nos ex hac defen ſione, opponens non eſſe calorem proprium illum qui educit humorem, & facit vt res cõ uertatur in puluerem, cum magis exeũte humore exeat calor internus, quàm contra, humoris vero exitum tribuis non calori interno ſed externo, qui potentior eſt, & putredi

nem facit; hunc ais secum attrahere humorem. Equidem tibi gratulor hoc nomine quod concedas calorem habere vim attrahēdi cũ philosophis ac medicis quod tam aperte solitus es inficiari. spero enim ex hoc futurum vt aliquando resipiscas, & quæ nunc improbans in Aristotele, constanter defendas ac tuearis: quod vero attinet ad causam quã ponit Aristoteles de calore interno satis ante indicauimus calorem internum esse formam à qua continetur humor, quo exeunte, vi caloris externi humor cum non amplius retineatur res quæ putrescit dissoluitur in puluerem. Tractato fine putredinis, finem quoque disputationi te facturum esse iudicabam, cum tu nunquam contradicendi satur vltra instas aduersus Aristotelem qui ponit in rebus putrescentibus bestiolas quasdam generari, propterea quod calor exiens constare facit seiuncta; id si ita sit inquis, iam redibimus ad congregationem & segregationem positam à veteribus, quam ille conarus est funditus euertere, subiicis causam quam dicis esse, quia corruptio vnius est generatio alterius: egregiam profectò rationem adducis, & superioribus conformem, nam si quæreremus cur nihil se in vniuersum profundat, & totum repente euolet; & propterea res non reducatur in nihilum, nihil commodius respõdere potuisses, quàm quod ad quę

ſtionem de beſtiolis quæ generantur in putribus preter rem omnino attuliſti; pro Ariſtotele vero dicimus hunc nõ eſſe locum explicandi quo pacto ex putribus generentur animalia, nam ſatis hoc declarauit in libris de animalibus, quos ſi diligenter legas, inuenies virtute cœli induci formam pro diſpoſitione materiæ recipientis, nam in putredine bouis producuntur apes, in putredine equi veſpæ: de congregatione autem & ſegregatione reprehẽdebat alios Ariſtoteles qui ponebant congregationem eſſe generationem neque hic labitur in idem vitium, nam vbi dicit calor conſtare facit quæ ſunt diſtincta non propterea ponit cõgregationem eſſe generationem, nam calor eſt cauſa huiuſmodi generationis per accidens, humor enim priuatus calore qui erat forma cum non poſſit eſſe ſine forma nouam acquirit, & calor qui interit nouæ formæ eſt cauſa tanquam priuatio; quæ ſi tibi videntur difficiliora, memẽto naturam in profundo penitus veritatem abſtruſiſſe, & da operam poſt hac, vt Ariſtotelis opera, non quaſi canis Nilum deguſtes, ſed in perpetuo librorum contextu inſiſtas, neq; huc atque illuc vageris: ſic enim ipſum intelligere incipies, quod vbi aſſequeris ab inani labore, ac faſtidioſo contradicendi genere proculdubio ſuperſedebis.

Epilogus

HActenus non ſolum ſatisfactum eſſe defenſioni Ariſtotelis putamus,ſed ſtudioſis aliquid etiam vtilitatis comparatum,præſertim ex iis quæ ante à nobis propoſita fuerunt, vbi methodum & ordinem ſeruauimus, nam poſtquàm tecum congredi cœpimus non licuit res in ordinem diſponere adeo implicatus ac tortuoſus fuiſti in quæſtionibus mouendis,vt intelligentiam lectoris rerum confuſione maxime impedias; quod ſi tentaſſem ex ordinatis in ordinem adducere, fuiſſet hoc(vt aiunt) laterem lauare, ſiqua autem à me omiſſa tibi videantur, iterum & tertio perlege quæ à nobis tradita ſunt ſic nihil amplius deſiderabis, neque enim tantum quindecim illas dubitationes diſſolui,quas in fine tuæ tractationis ſummatim recenſes, ſed aliis etiam occurri, ſi non omnibus enucleate, certe ſic vt coniectura ex eo quod ſcriptum eſt, ad id quod ſcriptum non eſt, poſsit inexercitatus etiam peruenire. Reliquum eſt, vt pro noſtra amicitia te moneam, ne poſthac in ſcribendis epiſtolis ita criminoſus ſis,ita contumelioſus ſicut fuiſti in hac, quam ad me mittis cum tractatione de putredine, monueram te cum primum ſignificaſti ad me ſcripturum de putredine, ne in epiſtola obtre-

ctares aut obiurgares quempiam, quod tu pollicitus es, cumque non seruaueris, nam multorum vitia fingis, in quibus carpendis me tibi quoq; socium adiungis, cogor nunc paulo acerbius te increpare. Describis scurras, histriones, ignaros ac prauos homines, qui nulla veritate præditi Tessali more popularem auram captant, huiusmodi homines nullos noui in Pisana Academia, immo certo scio non solitam mandari prouinciam publice docendi ab optimo & prudentissimo Principe nostro, nisi doctoribus non tantum doctrina, sed morum integritate probatissimis. Tu magis vide ne Tessalum imiteris cuius consilium fuit euertere medicinam recte à sapientissimo Hippocrate traditam, huic tu similis videris, dum quæ à veteribus tum medicis, tum philosophis præclare scripta fuerunt, cauillis ac fallacibus quibusdam rationibus perturbas, interim te putans antiquorum more philosophari, quorum studiũ fuit quæ ab aliis vtiliter inuenta fuerunt nõ destruere, sed ampliare, atq; augere, videris ergo Tessali temeritatẽ superare, cum Galenum, Hippocratem, Aristotelem tres Græculos appellas, & passim sine ratione reprehendis. Audio etiam dum hæc scribo dicere te si mea defensio tibi stomachum moueat, euersurum omnia opera Aristotelis,

ſicùt hactenus Galenum totum ac Hippocratem euertiſti: ò ingentem confidentiam ò Teſſali modeſtiam. Teſſalus methodicum ſe paſsim profitebatur, cum methodi eſſet penitus expers, tu tibi methodum vendicas fretus diuiſione in eſſentiam, cauſas, & effecta, qua vbique vteris, quaſi idem calceus omnibus aptetur. Venit in mentem ridiculi ac ſtulti cuiuſdam hominis, qui ſe architectum pręſtantem haberi credebat, quod vbicunq; ſermo de architectura incidiſſet tria vocabula Doricum, Ionicum, & Corinthium in medium proferret, ſimile quid facis tu cum eſſentiam, cauſas, & effecta pronuncians, eſſe te methodicum credis, ſed quod careas methodo licet alii te reprehendant, ego ſemper te defendo, immo probo ingenium tuum cum ſine vlla peritia dialectices ad methodum ſe applicet, quamuis illam non aſſequatur, Teſſalus tandem ſex menſibus medicinam docere pollicebatur, tu viam compendiariam promittis qua cum paucis menſibus diſcipuli ambularunt, putas nō modo effectos medicos ſed idoneos etiam medicorum cenſores, at quorum medicorum? Hippocratis & Galeni; neque velim mireris ſi hæc vitia non agnoſcis, habent enim hoc mala quæ verſantur in animo, vt quanto grauiora fuerint, tanto magis latent ęgro

tantes, quod secus euenire solet corporum morbis, magis igitur opus est medico ad animum quàm ad corpus, nam sæpe abunde est, si medicus curet malum corporis quod ab ęgrotante cognoscitur, at in vitiis animi grauioribus, opus est medico non solum curante sed etiam deprehendente atque indicante, quod munus cum maxime sit amicorum ad me potissimum spectare credidi, nàm alii cauere malunt ne odiosi fiant quàm dare operam vt errantiū vitia emēdentur. Quamobrem si sapias id potissimum ages vt veterum clarissima præcepta intelligas, doceas, augeas, quod ego quantum vires meæ ferūt præstare conor, more aliorum qui in hac Academia publice docent, quos omnes video in bonis artibus augendis, ac dilatandis assidue occupari, & magis re quàm verbis & ostentationibus concertare; quos eo nomine maxime laudo, quod cum multa scripserint, nulla edunt, sed expectant dum libri limati & perpoliti in lucem proferantur, ne vt prouerbio fertur festinantis canis modo, cæcos pariant, neue quæ nimis præcipites diuulgarunt, turpiter debeant retractare, quod leues homines faciunt, qui dicacitate quadam insignes non ex pectore & diu cogitata dant foras, sed quicquid ex improuiso in buccam venerit. Non sic prudentissi-

mus Vlisses apud Homerum locutus describitur, nõ sic sapientes solent, sed & diu cogitant quod scribunt, & quod scripserunt diutius custodiunt. Hæc sunt de quibus te commonefacere volui, quoniam aliis omnibus manifesta cum sint, te vnum fugiunt, studiosos autem in quorum gratiam fateor quoque me onus hoc disputandi suscepisse, adhortor ne gloriosos sophistas sequantur, qui nihil aliud agunt, nisi quod se ipsos prædicant, passim de se loquuntur, aliorum omnium obtrectatione sibi laudem conquirunt, iampridem inuentorum inuentionem sibi vendicant, ita vt semper risum vel stomachum moueant, hos relinquant adolescentes & præclarissimorum authorum per vestigia ad veritatem proficiscantur, neque sinãt seduci se ab his qui cum nesciant quod docte traditum est ab aliis explicare, falsitatem eorum quæ non intelligunt nituntur inutiliter decantare, quod iter facilius quidem est, sed lubricum tandem & periculosum; nolo tamen studiosos ad quemcumque autorem quasi tempestate fuerint delati tamquam ad saxum adhærescant, sed siqua inuentis adduntur, vt continue fit, illa summo studio complectantur.

FINIS.